

## AGATHYRSUS ODE.

A1 v.1 Cantamus ossa. Deditum  
 2 ventri genus, recede.  
 3 Mens alta, Tu, quae corporis  
 4 transgressa vilitatem,  
 5 prae ceteris, es carcerem  
 6 sortita mitiorem ;  
 7 agnosce Summi Judicis  
 8 sententiam : pepercit.

## LIBERTAS, REGALE BONUM.

A2 v.1 Tot impedita vinculis,  
 2 quot membra sunt et artus ;  
 3 cur nauticis rudentibus  
 4 vis insuper ligari ?  
 5 Corpus, quod hospes incolis,  
 6 testa lutoque factum :  
 7 jam furis est ergastulum ;  
 8 quid quaeris et latronis ?

## POL! MULTIS ONERANDE CANISTRIS.

A3 v.1 Is, qui prior Tirynthio,  
 2 caelum tulisse fertur ;  
 3 gaudebat Atlas sarcina  
 4 premente liberatur.  
 5 Cur mula clitellaria,  
 6 cur mulio levari  
 7 recusat, et majoribus  
 8 saccis petit gravari ?

## NOLIM INCRUSTARE DOLORES.

A4 v.1 Ne fide Lunae, quisquis es,  
 2 cum plena fratre turget.  
 3 Habet suos, nil ambige,  
 4 naevos, suosque manes.  
 5 Expende curas Pinguium,  
 6 et sonticos labores :  
 7 disces profundis ventribus  
 8 non invidere poenam.

## NIMIUM SE VIVERE SENTIT.

A5 v.1 Dic : anima cujus est adeps.  
 2 Quam vivit ille vitam !

3 Qui totus est tomaculum,  
 4 quam vivit ille vitam ?  
 5 Qui non habet spiraculum,  
 6 quam vivit ille vitam ?  
 7 Nolim vel aeger vivere,  
 8 quam vivit ille vitam ?

VOLUCRI PERNICIOR EURO.

A6 v.1 Audis ? Ut in suspiria  
 2 tardata flabra pulset !  
 3 Anhelat instar bubali  
 4 reciprocantis auram.  
 5 Credas equorum pulverem  
 6 Olympicum bibisse ;  
 7 aut concitatis essedis  
 8 primum subisse metam.

O MORS, HOC UTERE PASSU.

A7 v.1 Sed nempe gratis falleris :  
 2 vix movit e cubili.  
 3 Primis hiulcos messibus  
 4 torrente Sole campos ;  
 5 si tertium vestigium  
 6 Asturco pansa torsit ;  
 7 jam totus est axungia.  
 8 Et colliquescit aestu.

CHOREIS APTISSIMIS HEROS.

A8 v.1 Fit ergo longa fabula,  
 2 mimique sanna vulgi.  
 3 Quacumque molem poplitum  
 4 attollit in volumen ;  
 5 concussa, more Stentoris,  
 6 clamare Terra possit :  
 7 tanto parentem pondere  
 8 Antaeus iste calcat !

TALI SPECULUM MONSTRETUR OTHONIS.

A9 v.1 Vultus tumens rotundius,  
 2 an vultus est, an ulcus ?  
 3 Qui follibus praegnantior  
 4 tubam sonorus inflat.  
 5 Ut nescias. An Aeoli  
 6 sit natus in caverna :  
 7 dum plenus Austris, unica  
 8 videtur esse struma.

## MISERO QUID DENIQUE RESTAT?

A10 v.1 Talem nec ulla tempora  
 2 solantur, aut Planetae.  
 3 Hyems et Aestas displicent ;  
 4 et Maius et November.  
 5 Quas imprecatur Piscibus  
 6 Aquarioque Diras !  
 7 Latrante torvum Sirio,  
 8 fustem Cani minatur.

## AMPHION HAEC SAXA TRAHAT!

A11 v.1 Arena crescit interim,  
 2 et obstruit meatus,  
 3 saevit tyrannis aspera  
 4 tortoris inquilini.  
 5 Coactus intra viscera  
 6 parvum pati lapillum ;  
 7 vae grande saxum Sisyphi  
 8 tergo rotare malit.

## NEQUE STYX HIS TRISTIOR UNDIS.

A12 v.1 Accedit horror funebris,  
 2 Lethaea vis Catarrhis  
 3 Vespillo dormientium,  
 4 lethargus obstinatus ;  
 5 et naufragos, in littore,  
 6 qui mergit albus hydrops,  
 7 stillae tremendo frigidae  
 8 stupore sideratos.

## FURIARUM QUARTA, REPERTA EST.

A13 v.1 Omitto serram Bacchicam,  
 2 et murices acutos ;  
 3 quibus repelli nescia  
 4 pedes fodit podagra.  
 5 O tristis uxor conjugis  
 6 o sacra Xanth- tis -ippe.  
 7 Te distraho ; sed distrahis  
 8 et tu tuum maritum.

## AUSPICIIIS MELIORIBUS ORTI.

A14 v.1 At non et illis impluit  
 2 haec Ilias malorum ;  
 3 quis absque limo sordido,  
 4 glebaque verminosa,  
 5 intaminata firmius  
 6 compegit ossa Titan ;  
 7 et vertebrae Saturnio  
 8 formavit ex metallo.

## FELICES, QUIBUS ISTA LICENT.

A15 v.1 Sensus acutis excubant  
 2 ad tale corpus armis,  
 3 vigent manus Prometheos,  
 4 sanctum ferentis ignem.  
 5 Sanguis serenus scinditur  
 6 a seditate tabi ;  
 7 micantque venae castius  
 8 sinceriore metro.

## PERPETUI SUNT VERIS IN HORTO.

A16 v.1 Hinc vita vere vivida,  
 2 jubarque temperatum,  
 3 et bullientis lucidum  
 4 sacrarium caloris.  
 5 Raro caput circumtonat  
 6 tumultuosa nubes,  
 7 quae membra sternat saucia  
 8 vaporibus caducis.

## NON EST HAEC FABULA TANTUM.

A17 v.1 Ah novimus (dolor sine,  
 2 et deme frena linguae) ;  
 3 virum disertum novimus,  
 4 (nunc dormit in sepulcro)  
 5 de cuius alto vertice  
 6 Parnassioque colle,  
 7 hastata fors an altera  
 8 potuit salire Pallas.

## EXEMPLIS SAPIAMUS, AMICI.

A18 v.1 Hic corporis, non ingeni,  
 2 quod pinguioris esset ;  
 3 praesagus ipse fulminis,  
 4 ferale quod pavebat :  
 5 sui cerebri perditam  
 6 confessus officinam,  
 7 heu, saepe dixit, sentio,  
 8 quos sentio Cyclopas !

## DIXIT SE VIVERE. VIXIT.

A19 v.1 Vates fuit vel Delphicis  
 2 oraculis verendus.  
 3 Qua nocte, nullus augurum  
 4 praesensit ominantum.  
 5 Cadente stilla percitus,  
 6 vita repente cessit,

7 quam plurimi vel Attico  
8 redemerant talento.

QUOTA, DIC, EST FEMINA MITIS ?

A20 v.1 Sed Parca nescit nundinas,  
2 nec fila vendit ulla.  
3 Vir dignus annis aureis,  
4 ex ferreis abivit.  
5 Nos lacrumis rotantibus  
6 dum spargimus cupressum ;  
7 clamamus, o Cyclops, Cyclops :  
8 quem dire sustulisti !

TEN' HIS CONSIDERE MONSTRIS !

A21 v.1 Quisquis redundat phlegmate,  
2 hic dives est malorum,  
3 assem paternum dividat  
4 herede nominato ;  
5 septemque testes convocet ;  
6 addatque codicillos :  
7 et liberis, et conjugii  
8 suprema verba dicat.

TIBI CUR BLANDIRIS, AVARE ?

A22 v.1 Praedico : vota contrahat  
2 cervina ; vix senescet.  
3 Emat feretrum, lintea,  
4 lessumque mortualem.  
5 Conducat atras praeficas,  
6 et praeparet trientem,  
7 dandum Charonti navitae.  
8 Brevi, brevi migrabit.

INVIDIA DIGNISSIMA VITA.

A23 v.1 Felicioris siccior  
2 viam capessit aevi :  
3 quandoque visus secula  
4 cornicis aemulari.  
5 Non Fata, non durissimo  
6 accusat ore Divos.  
7 Non indiget medentibus,  
8 sui Galenus ipse.

PEREUNT AD PASCUA MISSI.

A24 v.1 Securus a securibus  
2 est bos laboriosus.  
3 Cui nulla stant palearia,  
4 prono ferenda collo.

5 At, qui torosus integrum  
6 distenditur per arvum,  
7 immugiens, velocius  
8 raptatur ad macellum.

AD BRASILOS CUM PINGUIBUS ISTIS.

A25 v.1 I nunc, sagina putidum  
2 et turpe carcinoma ;  
3 dicanda morti victima,  
4 ut anser et coturnix ;  
5 et, in Foro porcario,  
6 qui glandibus replentur :  
7 sus alba, quam Phryx viderat,  
8 praecessit : hi sequentur.

UTINAM FACIES TUNC PLANIOR OVO.

A26 v.1 Cum faeculenti sanguinis  
2 Trimalcio recumbit ;  
3 tantum catharma palpitat,  
4 sentina quanta navis.  
5 Foetore vivus enecat  
6 astantium pudorem ;  
7 magnamque stragem narium  
8 loco movendus edit.

TANTI EST SPUMARE GIGANTEM.

A27 v.1 Colosse farte sumine  
2 quid vasta membra jactas ?  
3 Jactat camelus jugerum  
4 dorsi, jugumque gibbi ;  
5 a metiendam funibus  
6 turrita Maura molem :  
7 has machinas irrideat  
8 praetervolans Alauda.

INVITAT TE PURIOR AETHER.

A28 v.1 Sit singularis vilium  
2 laus ista belluarum :  
3 propter culinam vivere,  
4 lardo fugare Verpos.  
5 Homo Choragus siderum,  
6 caeli futurus hospes ;  
7 is Porcium non aestimat,  
8 sed aestimat Catonem.

EADEM EST SENTENTIA MARTIS.

A29 v.1 Sin fortis Hector quaeritur,  
2 robur Milonianum :

3 ad nostra spectant agmina,  
 4 qui praevalent lacertis.  
 5 Thebanus ille Marspiter,  
 6 scutumque militare,  
 7 omnes obesos expulit  
 8 castris Epaminondas.

IPSO GLADII FRANGANTUR IN HOSTE.

A30 v.1 Viros Gradivus expetit,  
 2 viros amat Gradivus :  
 3 bellique nervus, nervus est ;  
 4 non pulpa, non omasum.  
 5 Macer stat instar classica,  
 6 velut marina rupes.  
 7 Status globosi corporis  
 8 manu movetur una.

ARBITRIUM SIT, ROMA, TUUM.

A31 v.1 Confer tuos urbs Dardana  
 2 major, minorque, cives.  
 3 Tam, qui manu, sub Porsena,  
 4 haustum bibere Tybrim ;  
 5 quam qui natarunt citreae  
 6 uncti liquore mensae.  
 7 Si proferes, quam praeferes  
 8 o Romae factionem ?

EST SANE LEPOR, ISTA TUERI.

A32 v.1 Hinc Caesarem Vitellium,  
 2 Vitellium Suillum ;  
 3 illinc tremendum Gallicis  
 4 praedonibus Camillum.  
 5 Hinc marcidum Caligulam,  
 6 quantum lavernionem !  
 7 Illinc vibrantem lanceas,  
 8 et pila Scipionem.

PAUPERTAS TRABEATA MICAT.

A33 v.1 O digna non vulgaribus  
 2 frugalitas Camenis !  
 3 Quae traxit a ligonibus  
 4 Macros ad Orbis ostrum ;  
 5 et purpuratis ensibus  
 6 scutisque sublevatos,  
 7 excelsa sicut Pyramis  
 8 evexit ad curules.

## TANTO EST IAM GLORIA MAIOR.

A34 v.1 Tunc Brutus ad praesepia,  
 2 Serranus in novali,  
 3 Dentatus inter ilices  
 4 Rem publicam regebant.  
 5 Fasces jacebant proximis  
 6 in vepribus saligni ;  
 7 consulque cum lictoribus  
 8 prandebat, et metebat.

## GRACILES ARCETE MINISTRI.

A35 v.1 Cajum stupes Iulium,  
 2 Pharsalicum monarcham.  
 3 Hic ille Fortunae suae  
 4 tyrannus invidendus,  
 5 et quem timebant caeteri,  
 6 Macrum tamen timebat.  
 7 Sit fas, tacere nomina :  
 8 macros tamen timebat.

## VIDEO PORTENTA: SED ODI.

A36 v.1 Huic comparetur Flavius,  
 2 muscis tremendus hostis !  
 3 Ructans vomensque grandia  
 4 mullisque mista Cete !  
 5 Aut Caracalla latior  
 6 decempeda Mimantis !  
 7 Aut Caldus Biberius  
 8 Mero modimperator !

## SI VIRTUS GRAVE PONDUS HABET, ETC.

A37 v.1 Amilcaris fax, Hannibal,  
 2 poto flagrans Sagunto ;  
 3 qui ventilavit Italos,  
 4 ceu milvius columbas ;  
 5 summasque Tarpeii Jovis  
 6 sub tegulas coegit :  
 7 carnis stetit sex unciis  
 8 appensus in bilance.

## DISTABANT ULTIMA PRIMIS.

A38 v.1 Transmitto cana secula,  
 2 ad nostra transiturus.  
 3 Rex liliorum Carolus,  
 4 sago togaque felix ;  
 5 ab cujus ense praelium,  
 6 et pax pependit ore ;  
 7 minora gessit nomine,  
 8 cum Crassus esse coepit.



## CIRCUMTONAT UNDA MALEAE.

A39	v.1	Crassi minacis nescium
	2	vitare Mortis ictum.
	3	Crassos pudendi dejicit
	4	aqualici gravedo.
	5	Crassos euntes impedit
	6	Urso repleta funda.
	7	Crassis nocet torpentibus
	8	ingens saburra ventris.

## QUEM QUAERITIS, HIC EST.

A40	v.1	Mirare Magnum Tillium,
	2	victoriae maritum.
	3	Caeso redux Turlacio,
	4	mersis cruore Cimbris ;
	5	post busta Magdenburgica,
	6	Germaniae triumphos,
	7	totus cadebat osseus
	8	in gloriae sepulcrum.

## FACIES SE ULCISCITUR IPSAM.

A41	v.1	Macti, quibus profundius
	2	os fugit in recessum,
	3	maxilla pendet scrupea,
	4	naresque porriguntur.
	5	Sic itur ad fastigium
	6	Martisque, Palladisque.
	7	Utrique servit diruta,
	8	exesa, scabra forma.

## PINGUES EXESTE PROFANI.

A42	v.1	Phoebus subit praecordia,
	2	quae <fiunt> puriora,
	3	et apta sacro concuti
	4	Apollinis furore.
	5	Testatur istud Mantua
	6	tuba Maroniana.
	7	Idemque cantat Umbria
	8	chely Propertiana.

## TANTUM A VENTRE CAPUT DISTAT.

A43	v.1	Qui crescit ut cucurbita,
	2	desperet esse laurus ;
	3	si non suo rigaverit
	4	Horatius Falerno.
	5	Quin ipsa, (quod mirabile)
	6	cum pinguis est Minerva ;
	7	absurda, barda, degener,

8 nec amplius Minerva est.

RUBIGO VENERABILIS AEVI.

A44 v.1 Vis intueri Porticus  
2 famae vetustioris ?  
3 Stoam, Lycaea, pulpita,  
4 et ambulationes,  
5 antiquitatis lineas,  
6 et circulos Sophorum,  
7 cavis refert et exprimit  
8 insculpta ruga buccis.

SIC OCULOS, SIC ORA, MANUSQUE.

A45 v.1 Hoc ore visus est Solon,  
2 Thalesque cum Cleanthe.  
3 Et quem cicuta sustulit,  
4 ceu Massicum bibentem.  
5 Et mobili qui dolio  
6 indormiens, ut aulae,  
7 contempsit omnes regias,  
8 tuumque, Pella, Regem.

EX PUMICE FLUMINA QUANTA!

A46 v.1 Hoc ore Marcus Tullius  
2 processit in Senatum,  
3 ut proditori diceret :  
4 "Quousque Catilina" ;  
5 aut in truces Antonios,  
6 et Fulvias feroces,  
7 Philippicas facundia  
8 tonante fulminaret.

FORMA VIROS NEGLECTA DECET.

A47 v.1 Sed nulla Macros gratia  
2 venusta comit : esto.  
3 Hanc pusiones ambiunt,  
4 spernit virilis horror.  
5 Quid ingemiscis, pallido  
6 genas colore tingi ?  
7 Pallor, Thaliae ; Pallor, est  
8 color scientiarum.

DA SIMILES: VEL, OBESE, SILE.

A48 v.1 Macer fuit, qui plurima  
2 locutus est tacendo ;  
3 qui pro figura, "Repperi",  
4 centum boves dicavit.  
5 Cujus lucerna fictilis

6 (audite curiosi),  
7 servi supellex, vaeniit  
8 fulgentibus smaragdis.

HOMINIS MIRABILE FRUSTUM.

A49 v.1 Macer fuit, qui vitreo  
2 excussit orbe naves ;  
3 qui primus hausit circino  
4 volubiles arenas ;  
5 qui vasta caeli corpora  
6 strinxit duabus ulnis ;  
7 Lunamque fratri Cynthio  
8 ad osculum reduxit.

TRES, TOTIDEM SPREVERE TYRANNOS.

A50 v.1 Macer fuit, qui litera  
2 famosus a Canina,  
3 pernox suos ad lampadem  
4 elucubravit astus.  
5 Macer fuit quem Corduba  
6 diro dedit Neroni ;  
7 Plato fuit macerrimus,  
8 quem conferes Platoni ?

IGNIS EDAX ALIMENTA PETIS.

A51 v.1 nutrix, Caro, libidinum,  
2 sororque lena somni ;  
3 quas non dedit tragoedias  
4 in omnibus theatris !  
5 Postquam Voluptas exiit  
6 tuburcinata soccum :  
7 de pelle convivantium  
8 scindit sibi cothurnum.

QUID TU VENERIS TETERRIME BUBO !

A52 v.1 Ales, Cupido, Cyprius,  
2 effeminatus Ales,  
3 Ledaque notus Doricae,  
4 plumas gerens oloris ;  
5 vix ponit in maceria  
6 nidi salacis ova ;  
7 sed ponit in palatiis.  
8 Et pinguium taberna.

I NUNC, ET CONFICE CLASSEM.

A53 v.1 Quod conflagrarit Ilion  
2 fumantibus ruinis ;  
3 quod Xanthus exundaverit

4 rubentibus procellis ;  
 5 debetur uni remigi,  
 6 quem paene nominassem.  
 7 Sed ille Remex dicitur  
 8 pinguis fuisse pastor.

QUID VULTIS? SIC SAECLA FERUNT.

A54 v.1 Ut quisque semper optimus  
 2 mentisque cultioris,  
 3 ab Orbe vixit condito  
 4 Urbisque conditore ;  
 5 sic osseus, sic corneus  
 6 magis, macerque vixit :  
 7 minusque Bombomachides  
 8 Gracchus, minusque Bacchus.

MAGNO QUOQUE MAXIMA CONSTANT.

A55 v.1 Hoc siccitatis utile  
 2 ut munus impetrarent ;  
 3 quot ambularunt millia  
 4 in pellibus caprinis ?  
 5 Qui victitarunt dactylis  
 6 tribusve, quattuorve ;  
 7 et his quidem sub Vesperam,  
 8 ne Sol videre posset.

CUM FERRENT NUMINA SILVAE.

A56 v.1 Non ad Senatum cedrinum  
 2 palmasque consulares,  
 3 sed populum nunc provoco,  
 4 et arbores eremi :  
 5 quae frondeo sub tegmine,  
 6 in saxeis grabatis,  
 7 se praebuerunt hospites  
 8 frigentibus Colonis.

ELYSIUM TERRESTRE NEMUS.

A57 v.1 Loquatur una Thebais,  
 2 et curva ripa Nili ;  
 3 quacumque septem brachiis  
 4 amplexus egit undas ;  
 5 mirum genus mortalium  
 6 fundi per arva vidit.  
 7 Interque silvas buxeis  
 8 expalluisse labris.

DII TALES, QUI ORACULA FUNDUNT.

A58 v.1 Prodite mandris squalidi

2 Pachomii reclusis,  
 3 Antonii, Paphnutii,  
 4 Onuphrii, Geroldi.  
 5 Amica tesquis nomina,  
 6 sed gratiora caelo :  
 7 qui, praeter ossa, corporum  
 8 nil extulistis antro.

## EX ROSTRO MENSA PEPENDIT.

A59 v.1 Vestite palmata toga  
 2 asceta, Paule, prodi ;  
 3 cui Corvus, etsi pessimo  
 4 parente fure natus,  
 5 fidelis usque serviit,  
 6 suumque "paize" dixit :  
 7 non ausus umquam missilem  
 8 procrastinare panem.

## ADHUC IUVENIS CELEBRATUS ATHENIS.

A60 v.1 Facunde prodi Cappadox,  
 2 et intimo recessu,  
 3 sortire nomen regium,  
 4 qui totus es corona ;  
 5 fulmen Valentis impii,  
 6 terrorque Juliani ;  
 7 virtute suppar montibus,  
 8 Tantusque quantus Ossa.

## OBSTANTES SUA FREGIT IN OSSA.

A61 v.1 Prodi specu doctissime  
 2 e gente Dalmatarum.  
 3 Quem terra Bethlemitica,  
 4 et gens togata novit ;  
 5 rupesque nati Numinis  
 6 vagitibus canora,  
 7 instar leonis audiit  
 8 per antra rugientem.

## HOS DEMUM LAUDAVERO VENTRES.

A62 v.1 Prodire, quotquot Angelos  
 2 eburnei coloris,  
 3 nutriverat radicibus  
 4 et hordeo polentae ;  
 5 caelo sereno clarior,  
 6 et paene par Olympo ;  
 7 Princeps tuarum vallium,  
 8 Bernarde, clara vallis.

## QUOD GENUS HOC HOMINUM!

A63 v.1 His, Nicolae, jungere,  
 2 o lumen Helvetarum !  
 3 Quem laudo totis ossibus,  
 4 frater saluto fratrem.  
 5 Quo fonte ducit gurgitem,  
 6 primaque mugit unda ;  
 7 quando cibus te pollui  
 8 Rhenus notavit ullis ?

## HOC EST OCCIDERE CARNEM.

A64 v.1 Nec te tacebo, Borgia  
 2 Francisce, sidus Orbis ;  
 3 qui funditus jejuniis  
 4 exaruisse visus ;  
 5 et quam nitentem lautis  
 6 ex Gandia ferebas,  
 7 thoracis instar flaccidam  
 8 conduplicasse pellem.

## QUIS ENIM CONTEMPSERIT ISTOS ?

A65 v.1 Quid Lipsium, quis Lessium,  
 2 Corneliumque Belgas ;  
 3 Lainios, Soarios  
 4 Drexeliosque dicam ?  
 5 Quid mille narrem ceteros,  
 6 quos nostra vidit aetas.  
 7 Argute. Stellae suspice,  
 8 et computare cessa.

## NEC PUDET HOS, MATHO, NOLLE SEQUI!

A66 v.1 Tot sunt, quot astra noctibus.  
 2 Sudis citata currunt,  
 3 viaeque rivo lacteae  
 4 fulvos lavant capillos.  
 5 Hos erudita Tuscia,  
 6 Illos Britannia Nympha,  
 7 Iberiaeque nobilis,  
 8 ferrugo decolorat.

## POTERIT PANDORA VIDERI.

A67 v.1 Salve beata, et Persica  
 2 macies emenda gaza.  
 3 Salve potens inanitas  
 4 rei periculosae.  
 5 Salve severa floridae  
 6 Patrona castitatis.  
 7 Salve satis non cognita  
 8 tutela sanitatis.

## FACIT EXPERIENTIA MECUM.

A68 v.1 Te rara via equulei  
 2 arterias secantis ;  
 3 te ratus urit calculus,  
 4 nigerve candidusve.  
 5 Te rara Pleias fletibus  
 6 suffocat, aut soporat ?  
 7 Non sternit imber turbinis :  
 8 non Scylla caeca sorbet.

## REGES, REMOVETE CULULLOS.

A69 v.1 Tibi dynastae supplicant,  
 2 qui tympano laborant ;  
 3 et erubescunt improbi  
 4 ventres, popaeque dici.  
 5 Te pharmacis Hippocraten  
 6 exaequat, et Machaon ;  
 7 te donat Aesculapius,  
 8 et anteponit herbis.

## NAM CUR INSULTET AMICO ?

A70 v.1 Instante Leto, scilicet  
 2 Macer timebit arcum !  
 3 Videns sibi simillimum,  
 4 et os ad os venire ;  
 5 albisque Mortem dentibus  
 6 non imparem jacenti ;  
 7 vel ante spondam sistere,  
 8 vel expedire telum.

## CADIMUS: SED QUOMODO; REFERT.

A71 v.1 Mors forte dicet : "Adsumus".  
 2 Amice, qui valemus ?  
 3 Cupis resolvi ? Janua  
 4 sum destinata vitae.  
 5 Necessitatem dilige.  
 6 Cum talibus jocamur.  
 7 In pinguium cervicibus  
 8 sum serius Thyestes.

## CENTAUROS CONCURRERE CREDAS.

A72 v.1 Quid exapescis spiculum  
 2 amore delibutum ?  
 3 Arundines, arundine  
 4 defigo, non sarissa.  
 5 Vastis bipennem quercubus,  
 6 ferisque sumptuosis ;  
 7 apris, apris venabuli

8           latum reservo ferrum.

ET CAEDES, NON PUGNA FUIT.

A73       v.1     Hoc agmen, haec embammata,  
           2        has amphoras et orcas,  
           3        has spongas immobiles,  
           4        sevoque diffluentis  
           5        complector uncis arctius,  
           6        et exprimo liquorem :  
           7        aestate, quali cochlea  
           8        compressa pingit hortum.

VOTORUM SUMMA MEORUM.

A74       v.1     Tu vade, nostrae mitius  
           2        sensure vim sagittae.  
           3        Tanget : nec ultra parvula  
           4        fibras acus recludet.  
           5        Natura tale dividit  
           6        et blanda Parca vulnus.  
           7        Quam tu subibis aleam,  
           8        dices fuisse ludum.

ACTOR HIC, ANGELUS ERIT !

A75       v.1     Et sic quidem componitur  
           2        a Morte vix notanda.  
           3        Adhuc videtur vivere,  
           4        sed spiritu retento,  
           5        suoque lectisternio  
           6        sopitus incubare.  
           7        Hoc unicum discrimen est,  
           8        altum silet vocatus.

BALAENA IN LITTORE CAPTA EST.

A76       v.1     Effer vicissim tauricum,  
           2        immane Maximini,  
           3        effer cadaver tauricum ;  
           4        effer, rogamus, effer.  
           5        Quod Sole fetet unico  
           6        super toro relictum.  
           7        Qui vel Sabaeus olfacit,  
           8        fit simus a mephiti.

URSOS IMPONITE PLAUSTRIS.

A77       v.1     Decemviri fortissimi  
           2        sestertio coempti ;  
           3        quandoque centum, si vices  
           4        mutare pondus urget ;  
           5        vendunt labores Herculis



6 et prostituta terga ;  
7 succedit alter alteri :  
8 euntque vultuosi.

HUMERI PLECTUNTUR ACHIVUM.

A78 v.1 Effertur ingens denique  
2 magno tremore funus  
3 terram movere crederes,  
4 et insulas migrare.  
5 Onusta succollantium  
6 cohors periclitatur :  
7 fessosque lecticarios  
8 Libitina triste ridet.

CILICES MACTABIT ET INDOS.

A79 v.1 Fragrant sub axillis capri  
2 portantium Gigantem ;  
3 et, quas Catullus oderat,  
4 olidae moventur alae.  
5 Sudoris imber causticus  
6 per calda membra stagnat.  
7 Pollinctor hac prae nautea  
8 nares fremens supinat.

MACRIS MACRA FAVET LACHESIS.

A80 v.1 Majore quanto gloria,  
2 quanto minore sumptu.  
3 Macro parentat mortuo  
4 ex osse factus heres.  
5 Solis vel a Duumviris  
6 eliminantur ossa.  
7 Hic, inquit unus, sint sita,  
8 et sub levi quiescant.

SED ENIM MOX BUCCINA CLANGET.

A81 v.1 At non in aevum perdita,  
2 humata putrefacta,  
3 defossa sub caligine,  
4 et anguibus latebunt :  
5 at non. Erit volventibus  
6 dies suprema Fatis ;  
7 Mundique summo penduli  
8 vibrata stabit axe.

TUMULATA REPULLULAT ARBOS.

A82 v.1 Anastasis, surgentium  
2 Regina mortuorum  
3 formosa Christi filia.

4 Electa sponsa Divum ;  
 5 clangore miro buccinae  
 6 sparsas movebit urnas :  
 7 et personans ad judicem  
 8 clausas citabit umbras.

## FECUNDA PUERPERA TELLUS.

A83 v.1 Impulsa fetam Manibus  
 2 Tellus resolvat alvum.  
 3 Et suscitata funera  
 4 os erigent in altum.  
 5 I, Flacce, porce de grege  
 6 harae voluptuosae,  
 7 ostende sis cuticulam :  
 8 lauda tuam ferinam.

## EXITUS OSSA PROBAT.

A84 v.1 Scelestas tunc abdomina,  
 2 et venter aliatus,  
 3 honore cultus numinis,  
 4 inunctus atque lotus ;  
 5 et carnis olla Aegyptia  
 6 imum ruent in Orcum.  
 7 Callosa mittet aridus  
 8 Virtus ad astra Calvas.

## TANDEM MACIES INVISA RECEDE.

A85 v.1 Tunc Ossa primum celsius  
 2 prostrata se levabunt.  
 3 Tunc Ossa dura mollius  
 4 in nubibus cubabunt.  
 5 Tunc Ossa sicca, gaudia  
 6 torrentis irrigabunt.  
 7 Tunc Ossa, flante spiritu,  
 8 ut herba germinabunt.